VATICINIUM

QUOD

DE IMMANUELE EDIDIT JESAIAS

(VII, 1 — IX, 6)

EXPLICAVIT

CONRAD JUSTUS BREDENKAMP
PASTOR.

ERLANGAE,
PROSTAT APUD A. DEICHERT.
MDCCCLXXX.

Druck von Junge & Sohn in Erlangen.

Vaticinium, quod de Immanuele nascituro edidit Jesaias propheta, quin inter omnes V. T. prophetias praecipuum locum teneat, dubitari non potest. Jam in N. T. St. Matthaeus hoc vaticinio natales Salvatoris nostri praedictos esse putavit. Postquam vero haec sententia apud christianos interpretes priorum temporum diu inconcussa valuit, difficultates, quibus messiana interpretatio obstructa est, tantae existimatae sunt, ut multi recentiores theologi vaticinium nonnisi ad Jesaiae aetatem spectare neque ullo modo in Christi natales quadrare putarent, quam opinionem Judaei jamdudum defenderant. Ac praesertim cum saepe ab interpretibus, verba et res ipsas minus accurate tractantibus, violento quodam modo omnia, nexu rerum neglecto, ad Christum relata sint, plerique aequales nostri a messiana interpretatione abhorrere coeperunt, quippe quae verbis textus nimis repugnaret. Num autem difficultates illae majores sunt, quam quae expediantur? Mihi quidem res dignissima videtur, quae diligentius retractetur. Atqui cum haec materia sententiis et interpretationibus abundet, mihi in animo esse non potest, omnia, quae ab interpretibus prolata sunt, enumerare atque cumulare. Sed imprimis nexui vaticinii et scopo perscrutando et illustrando operam navabo, rationes contra messianam interpretationem allatas, quoad opus est, examinans. Quibus refutatis, si demonstrare potuero, messianem interpretationem inter omnes maxime consentaneam et simplicissimam esse rerumque nexu requiri, haec

opera non incassum cessisse mihi videbitur. Quam multa egregiis et nostrorum et priorum temporum interpretibus debeam, quaeque ab iis mutua sumserim, periti intelligent. Attamen aliquid, quo vaticinii sensus magis illustretur, attulisse mihi videor. Quod num verum sit, feliciterque hoc negotio perfunctus sim, alii dijudicabunt, quorum indulgentia ut errati veniam impetrem, oro optoque.

Ut autem, quid propheta de Immanuele venturo vaticinatus sit, certius cognoscatur, totum comma Jes. VII, 1—IX, 6 nobis perscrutandum est. Nam inter plerosque viros doctos constat, commati, quod modo commemoravi, nexum sententiarum inesse aliena materia non interruptum. At omnia ad verbum interpretari et omnes vel criticas vel grammaticas quaestiones explicare, meum non esse puto. Satis est, ea inquirere, quae ad totam rem perspiciendam pertinent, levioribus omissis.

Primum videamus, qualis prophetae occasio fuerit vaticinii nostri edendi. Initio capitis VII. narratur, tempore Achasi, regis Judaeae, accidisse, ut Rezinus, rex Syriae, et Pecachus, filius Remaljae, rex Ephraimitarum, Hierosolymam aggrederentur. De hoc bello syro-ephraimitico etiam in libris II. Reg. (XVI) et II. Paral. (XXVIII) legimus, quae relationes quomodo cum hoc loco componendae sint, nobis hic non explicandum est. Per prolepsim propheta addit, oppugnationem illam irritam fuisse. Ex his verbis, quae apte uncis includenda sunt, Jesaiam post res gestas vaticinium scripsisse, recte concluditur. Singulari יָכֹל (quem auctor librorum Regum Plurali emendasse videtur) Rezinus potissimum respicitur, quippe qui priorem in hoc bello locum tenuerit. Illo tempore nuntius regi Achaso affertur נָחָה אֲרָם וגו', quae verba recte explicat Grotius: „Syrus cum suis copiis consedit in terra decem tribuum, ut inde conjunctis cum rege Samariae viribus moveret contra Hierosolymam“. נָחָה a נוּחַ derivandum est, nam quominus נחה

pro נאחה scriptum esse putemus (Lagarde Semitica I, p. 13, Abh. der königl. Gesellschaft der Wissenschaft zu Göttingen 1878), propositio עַל obstat.— Hocce quidem nuntio Achasus ejusque populus vehementer commoventur. Jesaias vero regi obviam ire ab Jehova jubetur cum filio Schearjaschub. Hoc nomen ominosum brevi quasi compendio Jesaiae prophetiam (cf. imprimis VI, 11—13. X, 21, 22) comprehendit, quare Dominus prophetae mandat, ut hunc filium secum agat. Argumentum vaticinii ad regem incredulum editi cum nomine illius filii congruum esse, recte animadvertit Hofmann (Weiss. und Erf. I. 218). Paventem regem propheta erigere et consolari jubetur. Quod ad insequentis periodi structuram attinet, verbis: כֹּה אָמַר אֲדֹנָי apodosis affertur: Propterea, quod Syria et decem tribus male contra te machinantur — sic Dominus loquitur: Non fiet illud consilium. Reges conjuncti Judaeam terrere et expugnare conati sunt, ut regem Judaeis constituerent filium Tabeelis (טָבְאַל in pausa pro טָבְאֵל cf. Esra IV, 7 et Olsh. § 91 d et 277 h.) Hunc putaverim neminem alium fuisse nisi Rezinum, tum quia ignotum quendam hominem regem designatum esse minime probabile videtur, tum quia, quod sequitur, eo modo rectius a nobis intelligi potest. Cui opinioni fidem facit, quod Tabeel nomen syriacum est et idem valet, quod Tabrimmon. Rimmon enim significat altum vel excelsum Deum (cf. II Reg. V, 18) et Syros voce אֵל usos esse, apparet ex nomine חֲזָאֵל. Sicut Benhadad est filius Tabrimmonis, ita Rezinus filius Tabeelis mihi videtur esse. Quid, quod Assyriologi in tabulis domus Tiglatpilesaris nomina et Rezini et Tabeelis (tibi'ilu mat arumu) invenerunt (cf. Schrader, K. u. A. T. S. 118). Itaque בֶּן־טָבְאַל (v. 6) respondet τῷ בֶּן־רְמַלְיָהוּ (v. 5). Quibus concessis, elucet, qua de causa propheta in apodosi pergat: Sic dicit Dominus: Non existet (תָקוּם) aut fiet (תִהְיֶה). Nam caput Syriae Damascus et caput Damasci Rezinus, i. e. Rezinus, filius Tabeelis,

minime caput Judaeae fiet, sed tantummodo Syriae et Damasci caput manebit. Verba, quae sequuntur, interpretaturi gravissimimis implicamur difficultatibus. Membra enim parallela (8a et 9a) per alienam sententiam interrupta videntur. Multi igitur Critici membrum 8b interpolatum opinantur. Atque etiam Hitzig contendit, inter omnes V. T. locos haec verba facillime inserta sumenda esse. Attamen vereor, ne id audacius quam verius dixerit. Quonam tandem modo nobis persuadebimus, hoc loco, quo tantum abest, ut de Samaria destruenda agatur, ut sequentibus verbis Samariae caput et rex memoretur, haec verba prorsus alienae materiae ab alio quodam inserta esse! Interpolationem si quis statuere vult, membrum 9a multo magis librarium olere videtur, quippe qui his verbis in margine scriptis prius membrum 8 a imitatus esse putandus sit. Quibus omissis, nihil desideratur, nexusque sententiarum integer atque perspicuus. Attamen verba illa abjicientes nodum percussisse, non solvisse videmur. At altera difficultas invenitur eaque gravior. Spatio 65 annorum plane destructam esse Samariam haudquaquam probabiliter demonstrari potest. Jam vicesimo fere post hoc oraculum editum anno respublica Ephraimitica a Salmanassare eversa est. Multi quidem interpretes (Raschi, Abenesra, Abarbanel, Kimchi, Eusebius, Hieronymus etc.) Jesaiam inde ab oraculo Amosi quodam (VII, 11, 17) hos annos supputasse censent: sed jure Gesenius hanc explicandi rationem ineptissimam esse dicit. Ac ne ea quidem, quae ab aliis (Calovius, Piscator, Glassius, Lowth, Döderlein, Drechsler, Delitzsch etc.) sententia prolata est, vaticinium spectare ad id tempus, quo Assarhaddon, rex Assyriae, novos colonos in Samariam immiserit, qua re Ephraim civitas esse desierit (2 Reg. XVII, 2), minime nobis probatur. Ephraim enim vere desiit populus esse, cum Ephraimitae a Salmanassare deportati essent. In hac re tam dubia certam

sententiam affirmare minime decet. Fortasse in numero scribendo mendum scribae irrepsit *).

Sed duas res equidem constare puto: primum, membrum 8 b a Jesaia ipso scriptum esse, quia de aliena verborum origine nemo certis causis nobis persuadere potest, deinde numerum, quem Jesaias scripsit, propter Singularem שָׁנָה numero decem inferiorem non fuisse (cf. Ges. § 120), id quod ad intelligendum vaticinii nexum plurimum valere inveniemus. Ceterum Diestel quoque concedit, membro, de quo disputamus, Jesaianae orationis colorem inhaerere. Rationem vero membrorum quod attinet, totum comma sibi optime constaret, si utrumque membrum (8 b et 9 a) transponere liceret. Quod nisi placet, sensus verborum hoc modo accipiendus est: Rezinus, inquit propheta, tantummodo Syriam et Damascum imperio tenebit, non etiam Judaeam. Ephraimiticum vero regnum certo annorum spatio peracto evertetur; sed ne Achasus metueret, ne Judaea interea a regno illo nondum deleto occuparetur, propheta Pecachum tantum Samariae caput mansurum esse addit. Huic sententiae, quam Chrysostomus, Calvinus, Piscator, Hengstenberg (Christol. d. A. T. p. 43) defenderunt, assentior, quamvis rem dubiam ac minime certam esse memor sim. Sufficit vero intellexisse, prophetam consilium utriusque regis conjuncti irritam fore vaticinari, Samariam vero intra terminum quendam perfractum iri. Quod praefatus propheta gravissime monet: אִם לֹא תַאֲמִינוּ כִּי לֹא תֵאָמֵנוּ, quam annominationem (cf. 2. Par. XX, 20) Lutherus optime vertit: Gläubet ihr nicht, so bleibet ihr nicht. Hocce effatum maximi ad percipiendum vaticinium momenti saepe parum in explicando sequente commate respectum est. Attamen gravissimum judicium, quod pro-

*) Cum littera ס (nota numeri 60) et littera כ (nota numeri 20) simili forma sint, nescio an propheta scripserit: 25.

pheta statim minabitur, his verbis annuitur et introducitur. Haud ignorat propheta, Achasum magis confidere rege Assyriae, cujus auxilium imploraturus erat (cf. 2 Reg. XVI, 7), quam Deo. Quamobrem minando praedicit, nisi Deo fidem haberent, ne Judaeos quidem permansuros sed interituros perinde atque Ephraimitas. En gravissimum historiae momentum, quo gentis judaicae sors in discrimen datur! Achasus vero respicit ea quae sub oculorum cadunt aciem, Jehovae auxilio diffisus. Tunc haesitantem et incredulum Achasum Jehova per prophetam signum poscere jubet (v. 10, 11), undecunque petere vellet, sive ab infernis (שְׁאָלָה in pausa pro שְׁאלָה cf. Ew. § 93 a. 3 et Delitzsch) sive ab excelsis. „Nihil describit propheta", ait Vitringa, „nullis illum includit augustiis. Ostendit, totam hanc naturam rerum divinae potentiae et providentiae sic esse subjectam, ut omnis in ea motus ad ejus nutum et imperium peragatur." Tali verborum propheticorum majestati et gravitati quantopere adversantur aequalinm nostrorum nugae! Propheta, inquit Hitzig, periculose rem dat in aleam, si Achasus signum petiisset, a Jehova ille derelictus esset. Meier nobis persuadere conatur, prophetae minime in animo fuisse signum aliquod facere. Atque etiam Knobel quaerens, quidnam propheta facturus fuisset, respondet: Vermuthlich eine einfache Sache wie sonst. Numquid critici illi metuunt, ne signum, quod v. 14 praedicitur, alioquin eodem modo mirificum esse oporteat?

Achasus quidem signum recusat, hypocrisim velans lege illa Deut. VI, 16: Non tentabitis Jehovam, Deum vestrum. Propheta vero ira accensus exclamat: Audite ergo, domus Davidis: numquid parum vobis est, defatigare homines — i. e. prophetas, ut recte explicat Chaldaeus — quod Deum quoque meum defatigatis? Qua in re te non fugiat, prophetam antea dumtaxat cum Achaso locutum his verbis totam Davidis domum compellare. Quod propheta regi

domum Davidis repraesentanti dicit, ad totam regiam domum spectat. Itidem v. 14 לָכֶם legitur. Iratus propheta pergit: „quare Dominus ipse signum vobis dabit“, et facere non possumus, quin judicium reprobatioliis et damnationis his verbis subaudiamus, quo domus Davidis illa impia afficiatur. — Imminet atque instat id, quod verbis אִם לֹא תַאֲמִינוּ כִּי לֹא תֵאָמֵנוּ v. 9 propheta minatus erat, quia fidem illam postulatam domus regia non praestiterat. Quodsi signum illud consolatorium est — et tale quidem esse videtur, quantum enim solatii opisque divinae nomen Immanuel praebet! — Achasum, quippe qui Deum reprobaverit, solatii illius minime compotem fore conjicimus. Prius signum illud, quod petendum Achaso oblatum erat, ad fidem erigendam et corroborandam destinatum erat. Signum vero, de quo exponimus — quamqam fidei et amoris divini erat, populum, quem elegerat, non prorsus atque in perpetuum derelinquere, sed auxilium solatiumque ei afferre — tamen Achaso regiaeque domui punientem ac minantem praebiturum faciem, ex nexu rerum dilucide apparet. Nam qui Deum reprobavit, fieri non potest, quin puniatur. Rerum igitur conditio mutata est tota, ex quo quod v. 12 narratum est, accidit. Quae cum ita sint, num recte concluditur ab interpretibus: Quia signum prius v. 11 Achasi ipsius oculis subjiciendum fuisset, idcirco etiam hoc loco signum tale esse oportere, quale totum vivo Achaso accideret? E contrario efficitur, ut Achasus, qui non crediderit, minime permansurus (v. 8) nec solatium signi illius percepturus sit. Id unum jure postulatur, ut signum Achasum ejusque domum quam proxime attingat plurimumque ad eum pertineat. Et ita res sese habet, domus regiae enim, qualis tunc erat, reprobatio signo illo involuta atque adjuncta est. Sin aliter, Lagardii cavillatio l. l. p. 10 convenire videretur: Was soll man für Vernunft darin finden, wenn einem Ungläubigen gesagt wird: „falls du nicht

glaubst, gehst du unter“, und der so Predigende der Ueberzeugung ist, dass der Angeredete, auch wenn er nicht glaubt, doch nicht untergeht? Quamquam vere ex his verbis elucet, quam perverse interpres ille vaticinii nexum intellexerit.

Signum igitur, quod v. 11 oblatum erat, ad confirmandum, hoc vero, quod Dominus ipse dat, ad affligendum Achasum destinatum est. Sed vis et notio vocis אוֹת utrobique eadem sit oportet. Quod qui negant, necessariam prophetiae recte interpretandae hypothesim repudiant certumque canonem interpretandi negligunt. Ac multi quidem interpretes utrumque signum toto coelo differre putant: prius signum esse mirificum, posterius non esse. At quis non videt, voce אוֹת utrobique idem necessario significatum esse? Rectissime Vitringa ad v. 14 notat: Per signum non potest hoc loco alterius generis intelligi signum, quam quale petendum oblatum erat Achaso, hoc est phaenomenon aliquod effectus admirandi, quod a providentia rectoris universi immediate penderet estque haec observatio, licet trita et vulgata, verum fundamentum rectae intelligentiae hujus loci“. Ac multi interpretes hanc observationem tritam et vulgatam, dico, simplicem et necessariam, negligentes, in lubrico consistunt verumque fundamentum dejiciunt rectae intelligentiae. Sic enim locum nostrum explicant: הָעַלְמָה, de qua loquitur propheta, uxorem fuisse regis Achasi (ita veteres judaici interpretes) aut prophetae (Raschi, Abenesra, Grotius, Gesenius, Hitzig, Hendewerk, Knobel) aut quaedam aequalis praesens (Isenbiehl, Bauer, Steudel, Rosenmüller, Ewald, Umbreit) aut dumtaxat animo prophetae observata (J. D. Michaelis, Eichhorn, Paulus, Duhm (Theol. der Proph. p. 163). Eam aut jam gravidam fuisse (Steudel, Knobel) aut non ita multo post gravidam factam esse; atque matrem nomen filii vocaturam esse Immanuel, quia Deus bello syro-ephrai-

mitico auxilium praestiturus sit. Tantum igitur abest, ut miraculum a Deo efficiatur, ut factum aliquod tritum, quod nullo modo naturae fines transgreditur, hoc vaticinio enunciatum sit. „Quis vero“, recte quaerit Vitringa, „miraculi loco habeat, parere feminam ex congressu virili et illi imponere nomen quale vult magnificum etiam et gloriosum?“ Neque in eo miraculum inveniri potest, quod consilium a duobus regibus initum irritum fore praedicitur. Jam antea enim propheta id vaticinatus erat. Quare signum non verbale sed reale sit, necesse est, ne signum cum re signata confundatur. Remanet igitur istis interpretibus sane „simplex res“, qualem Knobel Jesaiae esse putat, qui interpres scientiam prophetae eo progressam esse negat, ut sciret, utrum filius an filia nasceretur, quamobrem propheta primo quidem de infante tantummodo locutus, postea vero de filio scripsisse putatur. Profecto, si haec interpretatio esset recta, finis miserrimus grandiloquo et gravissimo initio responderet. „Quam ridicula fuisset“, ait jure Calvinus, „magnifica illa praefatio!“ Signum sive ex excelsis sive ab infernis petendum obtulit propheta et indicat signum simplicissimum et usitatissimum. Praeterea si prophetae uxor esset הָעַלְמָה, cur prophetam eam non appellat נְבִיאָה, ut VIII, 3? An Achasi pellex habenda est, mater Hiskiae, ut Judaei somniant? At Hiskias jam novem annis ante hoc oraculum editum natus erat. Aliusne Achasi filius significatus est? Illi, inquam, Achaso, qui modo Deum reprobavit, num uno eodemque temporis momento promitti potest, filium ejus Immanuelem vocatum iri auxiliumque instare? An הָעַלְמָה Achasi filia est, ut Naegelsbach putat? At nullum verbum exstat, ex quo illam indigitatam esse cognoscamus. Hunccine filium spurium pro signo opis divinae haberi posse, nedum pro typo Christi? Nollem profecto hanc sententiam Naegelsbachio placuisse. Porro, quorsum tendit, quod filius iste lac spissum et mel edere dicitur, donec

(LXX πρὶν ἤ, Chald. עַד לָא, Ges., Ew., Meier, Umbreit etc.) aut quando seu sub terminum quo (sic plerique recentiores interpretes) cognoscat, quid bonum aut malum sit? Id jure omnes fere nostrae aetatis interpretes intelligunt, coll. v. 22, in ejusmodi sententiam: in terra desolata ob incolarum defectum nihil aliud victus reperiri posse nisi lac et mel. Atqui puer Immanuel in terra Judaica nascetur, propheta autem v. 16 hostium terrarum desolationem exprimit. Utramlibet ergo significationem praepositionis לְ eligis, seu „donec" seu „quando" vertis, haudquaquam comprehendes, prophetam hunc cibum pueri ex desolatione terrae hostium explicare et utrumque versum particula כִּי ligare potuisse. Gesenius opinatur, fore ut aliquamdiu postquam hostes decesserint, lacte et melle incolae vescantur propter terram Judaicam per hostes vastatam, donec puer bonum et malum discernere possit. At priusquam puer ad id aetatis progressus sit, terram hostium jam ab incolis derelictam fore. Sed violentissima est interpretatio, qua כִּי non explicative, sed adversative intelligitur. Cum signum tam aenigmaticum v. 14, 15 annunciatum sit, quomodo, quaeso, particula sequens כִּי alio modo sumi potest, nisi usitatissimo: enim, sicut etiam VIII, 4 particula כִּי aeque atque hic interpretationem versuum priorum affert? Quid, quod, quam causam Gesenius indicat edendi lactis et mellis, frustra in textu quaerimus et causa in textu allata a Gesenio negligitur. Rectius Knobel vim pari ticulae tenet et sententiam vaticinii ita explicat: Eo tempore, quo Immanuel in annos discretionis provectus erit, post incursiones hostium iterum repetitas victus pueri erit vilior. Tunc vero Immanuelis nomen ominosum implebitur, nam priusquam puer inter bonum et malum eligere poterit, apparebit, Deum Judaeis adfuturum esse. At duro et violento modo sententia (v. 15) praeteritur et argumentum per particulam כִּי allatum ad v. 14 refertur. Senten-

tiam vero gravissimam: tunc Immanuelis nomen comprobabitur, interpres ille subjicit, cum in textu omittatur. Meier et Hitzig facilius se expediunt, versum 15 adulterinum esse contendentes. En commoda et facilis interpretatio, quae quod non intellectum est, abjiciat! Interpretes illi nescio an habeant, cur supine messianam hujus commatis interpretationem despiciant, cum, quam ipsi edunt, valde frigere videatur. Non sine aliquo jure Lagarde l. l. p. 10 adnotat: „Als Beweis dafür, dass man in der augenblicklichen Noth nicht verzagen dürfe, das Wunder anbieten, dass nach etwa 10 Monaten ein Knabe werde geboren werden, der Emmanuel heissen solle, weil Gott mit dem Volke sei (eine solche Namengebung ist doch kein אוֹת, da sie auf natürlichem Wege zu Stande kommen konnte, wenn Jesaias Einfluss auf die Mutter besass) und dann fortfahren, dass dieser Knabe kein Glück erleben, sondern wenn er 13 Jahre alt geworden, sich mit Käse und Honig als Nahrung zu begnügen haben werde, das ist doch mehr, als man sich bieten lassen darf. Huic sententiae nos quoque assentimur, dummodo ne vir ille doctus cogitet, hanc cavillationem ad textum verbi divini pertinere. Minime vero, sed interpretandi via et ratio a plerisque recentioribus criticis accepta quam lubrica sit parumque solida, illis verbis liquido demonstratur. Plura ad hanc refellendam infra notabimus.

Maxime ad intelligendum hoc vaticinium expedit cognovisse, signum illud aenigmaticum (vv. 14, 15) quasi thematis instar sequente commate quod ad singulas partes attineat amplius explicari. Recte igitur intellexerunt Stähelin (messianische Weissagungen pag. 46) et Hofmann (Schriftbeweis II, 1. pag. 88), v. 17 haudquaquam novam materiem incipere, sed arcte hunc versum cum praecedente connectendum esse. Quod enim inde a v. 16 sequitur, eo explicatur, cur puer lacte et melle vesci dicatur, quae sen-

tentia imprimis v. 22 illustratur, quo omnes reliqui lac spissum et mel edere commemorantur. Quid? Nonne eo, quod cap. VII, 8. 10 bis nomen Immanuelis repetitur, nuncupatio pueri clare illustratur? Cum denique IX, 5 sq. filius aliqui summis laudibus elatus פֶּלֶא nominatur, nonne ille puer necessario idem putandus est atque hic puer, quem tamquam אוֹת ab Jehova datum iri propheta hoc loco dicit, (sicut inter recentiores Lowth, Koppe, Rosenmüller, Ewald concedunt)? Quibus praemissis, nexu et contextu observato, singula explicare et sententiam meam exponere studebo.

Primum quod attinet ad vocem אוֹת, Gesenius confirmat, veteres interpretes errare opinantes אוֹת ubique mirificum aliquid et insolitum significare. Non ubique quidem, sed nostro loco certissime ac sine ullo dubio אוֹת est signum mirandum, quod praeter consuetum naturae ordinem evenit. Ac summum interpretationis praeceptum esse inter omnes constat, notionem uno eodemque loco bis obviam eadem significatione dici. Attamen hoc loco, ut vidimus, secundum hoc principium interpretari recusatur. Ubi enim est miraculum in signo v. 14, si Gesenii partes sequimur, quamvis v. 11 signum mirandum notari nemo neget? Neque enim in praedictione miraculum ponere licet, cum v. 11 quoque signum non verbale sed reale innuatur et impetum hostilem irritum fore propheta jam supra vaticinatus sit. אוֹת deducitur a radice אוּה, quae proprie notat: designare, denotare. Est igitur אוֹת signum aut indicium alterius rei. Qua in re duae sunt discernendae rationes: Aut אוֹת relative sumendum est de indicio rei cujusdam determinatae, seu praeteritae (Ex. III, 12. XIII, 9, 16. Num. XVII, 10) seu praesentis (Jud. VI, 17. Job XXI, 29. Gen. XVII, 11) seu futurae (Ez. IV, 3. Jes. XX, 3, 4. XXXVIII, 7. Jer. XLIV, 29). His locis expresse id additum est, cujus indicium illud אוֹת sit. Aut vox אוֹת absolute sumenda est, ita ut divinae potentiae signum i. e. miraculum sit (Ex. IV, 8. 9. 17 sq.

Deut. IV, 34. VI, 22. VII, 19). Hoc loco, de quo disputamus, non denotatur ea res, cujus indicium אוֹת illud sit. Versus decimus ita incipit, quasi novi aliquid afferatur. Ex contextu quidem patet, signum offerri, ut Achasi animus afflictus recreetur fidesque divinae opis excitetur. Recte ergo v. 11 אוֹת vertes: miraculum. Haud dubie autem אוֹת v. 14 itidem accipiendum est. Hic enim nullo modo, sive verba sive nexum rerum respicis, res aliqua certa designatur, quam Achasus ex signo illo cognoscat. Plerique quidem interpretes liberationem ab hostibus faciendam intelligunt. At perperam quidem. Nam ut loco suo apparebit, propheta minime adductus est, ut crederet, Immanuelem ante illam liberationem nasciturum esse.

Spectemus quaeso accuratius conditionem rerum, in qua propheta haec verba v. 14 exclamat. Achasus signo recusato Dei auxilium reprobavit. Qua re omnia omnino versa sunt. Signum ergo Dei offensi et indignabundi esse, contextu dilucide perspicitur (cf. לָכֵן, quod permiro modo Matthaeus Polus et alii vertunt: nihilominus). Miraculum igitur exspectamus, quod dura supplicia Achaso ejusque domui ac populo imminentia involvat, id quod recte ex veteribus interpretibus Schmidius, Sanctius, Altingius et alii intellexerunt. Miraculum, quod ultro Dominus non Achaso soli, sed toti regiae domui dat, ita describitur: הָעַלְמָה concipiet parietque filium et vocabit nomen ejus Immanuel. Articulus minime praesentem aliquam seu mulierem seu virginem significat, quod si esset, dic, sodes, qualem propheta intellexerit? Immo vero illa est, quam prophetae animus praesagit (cf. Num. XI, 27. 2. Sam. XV, 13. 2. Sam. XVII, 17). Scite notat Bengel ad Matth. I, 23: Articulus ex specula divinae praescientiae singularem demonstrandi vim habet; agitur enim de signo et ecce additur. Rectissime Delitzsch uspiam Jesaiam הִנֵּה cum Part. junctum nisi ad designandum futurum tempus adhibere negat (cf.

Jud. XIII, 5). Eadem est genitrix, quam Michaeus (V, 2) parituram esse vaticinatur. Et perinde ac Michaeus nullo modo genitricem illam ejusque partum accuratius describit, ita ne Jesaias quidem videtur. Namque concedendum est, voce עַלְמָה haud necessario virginem illibātam notari. Tum dialectis semiticis ceteris (arab. خَلَمَ, puberem esse cf. حَلَمَ, fortem, crassum fieri; chald. חֲלַם, convalescere (cf. Job. XXXIX, 4), syr. Ethp.: maturescere) probatum est, עַלְמָה deducendum esse non a radice עָלַם = occultare, tum ex Hebraicae linguae usu (cf. עֶלֶם, juvenis) idem apparet. Virgo illibata enim notatur nomine בְּתוּלָה. Praeterea, etiamsi propheta hac voce usus esset, neque aliam nisi illibatam virginem designasset, tamen non proprie et exserte dixisset, eam sine viro parituram esse. Quae cum ita sint, Immanuelem ex virgine illibata nasciturum propriis verbis propheta praedixisse non videtur. Quibus concessis, vicissim notandum est, עַלְמָה ubique puellam esse neque usquam mulierem nuptam. In Cant. (VI, 8) proprie discernuntur פִּילַגְשִׁים et עֲלָמוֹת, ut etiam Luzzatto duo haec nomina inter se differre concedit. Loco, quem adversarii urgent, Prov. XXX, 19 עַלְמָה certissime differt a femina adultera v. 20. — Joel I, 8 בְּתוּלָה haudquaquam vidua est sed sponsa, et quod Ruth (II, 5; IV, 12) נַעֲרָה vocatur, huc referri non potest, quia vox illa ad juventutem viduae illius illustrandam posita est, hoc autem loco nihil interest, qua aetate הָעַלְמָה sit. Atque recte Hofmann dicit, nomen עֲלוּמִים LIV, 4 perinde ac nomen אַלְמְנוּתִים oppositum esse conditioni nuptae. Puellae igitur Dominus puerum donabit. Puella necessario est aliqua persona, minime vero de populo Israelitico haec notio accipienda est (Hofmann, Weiss. u. Erf., I p. 225), quae personificatio textui non convenit. Jam vero cum nexus rerum postulet, ut signum illud mirandum sit, quaerimus, qua in re miraculum positum sit. Sane puer ipse erit infans mi-

rus, nam idem IX, 5 פֶּלֶא vocatur neque ullo modo nomen „Immanuel" fortuito quasi ei puero ipsi dari putandum est. Neque vero puer ipse solus, sed omnia, quaecunque de eo dicta sunt, signum constituunt (recte Seb. Schmidius: revera in omnibus, quae hic dicuntur de Messia, est signum). Quodsi puella quaedam a Domino puero donabitur, num longe repetitum esse putaveris concludere, etiam partum ipsum non *κατὰ φύσιν*, sed *παρὰ φύσιν* fore? Alioquin propheta certe tam brevi modo scripsisset, quo IX, 5. Puer ergo et quae de eo praedicantur, signum efficiunt. Mater, non pater, de quo est mirum silentium, appellabit (קָרָאת syriaca forma contracta) eum Immanuel, quod nomen praesentiam propitiam et opem Dei continet. Lac spissum et mel comedet, pergit vaticinando propheta mirabili modo. Superbae regiae domui, quae videbat tantummodo res ante oculos positas opibus ac potentia hujus mundi freta, opponitur ille Immanuel, quippe qui paupere et vili victu alatur. Errant enim, qui propria prophetae exegesi (v. 22) neglecta lactis et mellis esu cibum tenellae aetatis significari putant (Raschi, Forerius, Matth. Polus, Vitringa, Steudel). Fuit utique is apud veteres infantilis aetatis victus (cf. Bochart, Hieroz. I, p. 718). Minime vero ipsius prophetae interpretationem (v. 22) praeterire licebit. In terra desolata et ab incolis deserta, ubi ager non coletur neque frumentum seretur, puer ille in pauperrima et humillima conditione adolescet vitamque deget. לְדַעְתּוֹ מָאוֹס בָּרָע וּבָחוֹר בַּטּוֹב, quid sibi volunt haec verba? Ordienda est a praepositione לְ disquisitio. Interpretes recentiores omnes eam vertunt aut „donec" aut „sub terminum quo" aut „quando" puer sciat etc. Neque vero his versionibus usus linguae favet. Primum rebus diligenter perpensis, omnes loci, ubi לְ ante nomen, cui temporalis notio inest, positum videtur, nullo modo comparari possunt (Deut. XVI, 4; Amos IV, 7; Psalm XXX, 6; LIX, 17; Gen. VII, 10; VIII, 11; Hiob XXIV, 14, neque

non לָנֶצַח, לְעוֹלָם). Omnibus his locis temporis notionem praepositioni לְ inhaerere necesse est, quae cum directionem et conversionem ad aliquid denotet, nomini temporis praemissa non fieri potest, quin ad tempus transferatur. At ostendas mihi totius V. T. unum locum, quo לְ sequenti Inf. temporali modo sumendum est. Nullum invenies, nisi forte verba: לִפְנוֹת עֶרֶב, quae eadem tempus indicant. Lev. XXIV, 12; Dan. IX, 24 לְ nihil aliud significat nisi „ad" cum Gerundio junctum vel „ut"; itidem 2 Sam. XIII, 2 vertendum est: ad aegrotandum, et לְ est ut consec. Itaque cum לְ Infinitivo praemissum ad tempus translatum nusquam exstet, ne hoc loco quidem censeo, ut eo sensu sumatur. (Uno loco 2. Sam. XVIII, 29 לִשְׁלֹחַ vertere liceat: donec mitteret. At dubiae interpretationis et implicatior est ille locus, quam quem huc trahas). Simplicissime et rectissime vertes, si praepositionis לְ sequ. Inf. significationem saepissime obviam tenueris: ad sciendum, ut sciat (Syr., Vulg., Junius, Tremellius, Brenz, Matth. Polus etc.). Ab hoc praepositionis sensu discedere atque לְ temporaliter sumere tantummodo liceret, si quae insequuntur verba aperte et certe tempus vel terminum aliquem designarent (id quod non factum videbimus). Alioquin propheta sine dubio plane et perspicue scripsisset, ut Michaeus: עַד־עֵת (V, 2) seu עַד־אֲשֶׁר. Quamobrem לְ usitatissimo illo sensu accipere maxime placet. Quid negem me mirari, plerosque recentiores viros doctos ita hanc significationem negligere, ut ne commemoratu quidem dignam putaverint? Nihilominus alio modo praepositio לְ verti nequit. Hofmann quidem (Weiss. u. Erf. p. 226) notat, si לְ per „ut" vertatur, Suffixum abundare et obstare. Verum enimvero prorsus necessarium videbitur nexum rerum spectanti Suffixum Inf., quo antithesis firmetur. Nam si idem Subjectum Infinitivo est, quod Verbo fin. antecedenti, hebraicae linguae more Suffixum non proprie exprimitur, nisi sensus quidam

emphaticus et vis quaedam ab opposito hausta Suffixo inest. Quare sensus hic est: Pro eo, quod domus Davidis superba et opulenta per Achasum bonum reprobavit et malum elegit, hic Immanuel nasciturus humillimam atque pauperrimam vitam deget, civitate in arctum acta atque in rebus adversissimis, ut is sciat, id quod Achasus nescivit, reprobare malum et eligere bonum. Achasus enim revera ea ipsa hora bonum rejecerat, malum elegerat. Itaque etiam מָאוֹס praecedit *τῷ* בָּחוֹר. Nullo enim modo, id quod omnes recentiores interpretes dicunt, tempus aliquod seu terminus his verbis denotatur. Laudant locos parallelos: 2. Sam. XIX, 36; 2. Sam. XIV, 17; Deut. I, 39; Gen. II, 17; III, 22. Sed haudquaquam concinne hi loci allegantur. Nam illis locis nuda discernendi inter bonum et malum facultas (Hofmann: Wahlverstand) exprimitur, nostro vero loco minime. Neque enim propheta his formulis utitur: דַּעַת טוֹב וָרָע aut הָבִין בֵּין טוֹב לְרָע aut דַּעַת בֵּין טוֹב לְרָע (1. Reg. III, 9), quibus puerum optaturum esse dixisset, utrum hoc an illud praeferat. Non disjunctive loquitur, sed affirmative de eo praedicit; non de rationis usu loquitur, sed vaticinatur, illum utpote Achaso contrarium et oppositum reprobaturum esse malum et bonum electurum. Verbum יָדַע idem valet quod Francogallicum: savoir. Germanice vertas: Er wird sich verstehen auf die Verwerfung des Bösen und die Erwählung des Guten. Nam יָדַע hic cum Inf. abs. junctum est (quamquam in nonnullis quidem manuscriptis defective מאס scriptum est), qui Infinitivus actionem in abstracto significat ideoque absolutiorem reddit. Tantum igitur abest, ut terminus quidam his verbis praedicetur, ut ethica natura et qualitas Immanuelis describatur. Id LXX eosque secutus Arabs sua versione, alioquin utique falsissima, spectasse videntur. De ethica indole etiam Hieronymus comma versus illud accipit: „Adhuc pannis involutus et butyro pastus habebit boni malique judicium, ut reprobando malum —

eligat bona. Non quod hoc fecerit, sed quod scierit reprobare, ut noscamus, infantiam humani corporis divinae non praejudicare sapientiae". Simili modo explicant et alii veteres interpretes (Schmidius, Altingius), qui, quamvis in aliis rebus minus accurate interpretentur, tamen id unum recte perspiciunt, haudquaquam terminum iis verbis designari. Praeterea si puer dumtaxat usque ad eum terminum (puta ad annos discretionis) lacte et melle vesci diceretur, res adversae post eum terminum desinerent. At quomodo huic rei consentaneum est, quod propheta proximis versibus usque ad finem capitis VII de desolatione loquitur, qua omnes reliqui hunc cibum esuri sint? Accedit, quod terminus ille prorsus incertus est, ab aliis alio modo definitus, sive de primo anno (Hitzig) sive de tertio (sic plerique interpretes) sive de decimo usque ad vicesimum (Faber, Ewald). Hitzigii sententia prorsus non probanda est. Nam nequaquam de cibis suavibus vel amaris illi oblatis istam formulam accipere licet, cum talia discernendi facultas sit naturae, non educandi vel discendi. Neque vero puer trium annorum honesta et inhonesta, aut innoxia et noxia discernere potest. Nam etiamsi aliquantulam ejus modi facultatem ea aetate statuere velis, tamen nullo modo triennium describere licebit tamquam aetatem, qua pueri talia experiendo edidicerint vel sciverint. Atqui qua de causa interpretes terminum tam parvum putent, loco opportuno (VIII, 3) intelligemus. Jam vero utrum bonum sit moraliter de honestis rebus an physice de utilibus intelligendum, hoc loco non multis verbis disputabimus. Utrumque eodem redit. Achasus honestum i. e. praeceptum Dei recusando et turpe i. e. inobedientiam atque incredulitatem eligendo res adversas sibi adsciverat, vera salute reprobata et deperdita. E contrario Immanuel in humillimis rebus puerascens et adolescens idoneus erit, qui quod Achasus non valuit, peccato evitando, justitia eligenda veram prosperitatem populo

suo possit offerre. Achasi erat, sapienti et pio imperio Deo adjuvante civibus auxilium et bona afferre. Quod Achasus nequivit, ille sapienti sanctoque regimine poterit, utpote verus Immanuel adjutor. Attamen priusquam ille puer id efficere valeat, priusquam ergo sua sapientia et sanctimonia usus salutem populo afferat, supplicia permagna irruant necesse est. Inde apparet, cur propheta non scripserit: priusquam ille nascatur. Opponitur enim vecordi improbitati Achasi Immanuelis sapientissima sanctimonia: ex illa orta est pernicies; ex hac orietur salus ac prosperitas. Sed priusquam Immanuel salutem et bonum sibi populoque eligere sciat, permagnum infortunium instat. Omnis enim ubique terra adeo desolata erit, ut promissus Immanuel, quando advenerit, nihil nisi lac spissum et mel edendum reperturus sit. Id sibi vult particula כִּי v. 16. Nam sequentibus verbis causa ostenditur, qua fit, ut Immanuelis victus sit lac et mel. Esu lactis et mellis quanta mala continentur! Instat igitur desolatio totius terrae. Deseretur ab incolis tum terra Ephraimitarum et Syrorum, qui Achasum perterrent (v. 16), tum aeque summis angustiis opprimetur Judaea (v. 17), qua in terra Immanuel nasciturus est. Hac ratione altera sententia alteri *ἀσυνδέτως* composita est, cum tanto orationis pondere primo loco graviter positis verbis: תֵּעָזֵב et יָבִיא, deseretur — afferet. Rex Assyriae, quo Achasus fretus erat, ipse omnes terrae tractus tunc bello intricatos devorabit et devastabit, ita ut Immanuel natus regionem totam vastatam intret. Vastatio, de qua loquitur propheta v. 16, minime per Tiglatpilesarem facta est, sed multo post per Salmanassarem. Notat enim propheta per vocem תֵּעָזֵב idem, quod per formulam יֵחַת מֵעָם (v. 8) designaverat (cf. VI, 12 הָעֲזוּבָה). Itaque cum supra (v. 8) interitus Samariae in multo posterius tempus terminatus sit, non fieri potest, ut adventum Immanuelis jam bello syro-ephraimitico propheta futurum exspectaverit.

Nam puer demum post vastationem illam (v. 16) et res adversas illas (v. 17) venturus est.

Itaque hoc signo incredula domus regia damnatur (cfer בֵּית אָבִיךָ, quod perperam Hendewerk ad Jothamum, patrem Achasi, refert, cum necessario idem valeat, quod בֵּית דָּוִד). Recte Seb. Schmidius: „Quia vos adeo non creditis Deo, ipse Dominus vobis signum dabit, quo constituat ingentium malorum cumulum, quibus vestra nepotumque vestrorum malitia punienda erit. Ex hac cohaerentia apparet, quod hoc signum vel maxime ad tempora longinqua pertineat". Achasus, cum Deum reprobaverit, a Deo reprobatur. Regnum illud, cujus amicitiam Dei favori praetulerat, ei perniciem afferet. Quid igitur sibi vult, quod objicitur, אוֹת illud necessario signum esse, quod Achaso vivo obtingat? Minime vero. Quoad enim signum gratiam offert, Achaso obtingere nequit. Nam signo, quo fides regis erigatur, recusato, jure ipse condemnatur cum tota Davidis domo, qualis tunc erat. Gravia supplicia appropinquant, ut Dominus, terra populoque ad extremum redactis, novi aliquid parare et praeclarum illud offerre possit miraculum Immanuelis, qui sanctius et sapientius regnet quam Achasus. Calamitatum vero initia jam Achasum et qui cum eo sunt corripient. Quamobrem jure domui regiae datur i. e. praedicitur signum, quod ejus plurimum interest. Qualis enim tunc erat, humilianda et perfringenda erat, ut alii filio Davidis nascituro cederet. Nam Messiam Davididem fore, tota scriptura docet. Profecto tantummodo si Messianam interpretationem sectaris, אוֹת illud utrumque eadem ratione accipitur, utpote, quo priore Achasi fides corroboranda (v. 11), posteriore vero Davidis domus terrenda, sed fidelium mentes in spem meliorum temporum inducendae essent. Tali modo optime omnia inter se cohaerent. Et maxime spectandum est, sententiam modo latam magnopere juvari singulari colore Jesaiano, quo omnia tincta sunt. Diestel

iis qui de Messia interpretantur objicit: Nach Jesaias selbst tritt der Messias erst nach einem gewaltigen, das Volk decimirenden Strafgericht ein, quam sententiam hoc loco deesse ille arbitratur. Hoc argumentum quam infirmum et nullum sit, apparet. Id ipsum est totius hujus commatis momentum atque cardo, quod Israel et regia domus, qualis tunc erat, suppliciis gravissimis frangatur necesse sit, donec tempore adverso sapientissimus oriatur moderator. Est eadem sententia, quae cum per totum Jesaiae librum tum per duodecim priora ejus capita obvenit. Consentaneum est, quod XI, 1 propheta dicit, domum Davidis fieri oportere גֶּזַע, unde חֹטֶר et נֵצֶר oriatur (cf. V, 24; VI, 13). En geminum veritatis argumentum: nam et nexus sententiarum nusquam interruptus maxime concinnus videtur et colore Jesaiano liquido obducta est sententia, quam defendimus. Idem vaticinatur Michaeus propheta, Israelitas tradendos esse, donec paritura pariat (V, 2).

Jam vero sequentibus verbis propheta quater repetens בַּיּוֹם הַהוּא explicat, qui fiat, ut Immanuel nasciturus lac et mel esurus sit. Sibilabit Dominus muscae Aegypti et api Assyriae, ut veniant et ubique terrae considant. Aut, ut alia similitudine idem oculis subjicitur, per novaculam conductam vel a Domino (sic plerique recentiores interpretes) vel ab Achaso (Pisc., Glass., Nägelsb.) vel ab utroque (Clericus), scilicet per regem Assyriae abradet caput et pilos pedum et barbam, i. e. tollet, quaecunque aut usui aut ornamento sunt, omnia penitus perdens. Exegesis אֵת מֶלֶךְ אַשּׁוּר minime interpolata ducenda est neque hic, neque v. 17, neque VIII, 7. Id enim maxime refert, per eum ipsum regem, quo confisus erat, Achasum opprimi. Quibus rebus fiet, ut vir, quamquam dives, unam buculam et duas oves (vel capras) alat. Attamen propter uberrima pascua, quibus terra cultoribus egens abundabit, paucae pecudes plurimum lactis et butyri reddent, quare, qui relicti erunt pauci,

tantummodo melle et lacte vescantur. Quid? ubi antea optima vineta erant, ager obsitus erit vepribus et spinis. Graphice his imaginibus propheta depingit regionem prorsus devastatam. Cognovimus ergo, quid propheta esu lactis et mellis significare voluerit. Sine dubio haec omnia ad Judaeorum exilium spectant. Eadem sors, quae Ephraimitis obtinget (v. 16), Judaeis imminebit: dies quales non fuerunt etc. (v. 17). Quare prophetae minime in mentem venit, Immanuelem bello Syro-ephraimitico nasciturum exspectare. Nam eo tempore neque Samaria ab incolis tota deserta est neque Judaea ab Assyriis et Aegyptis omnino devastata. Adjice, quod Immanuel, si in capite regni natus esset eo bello, haudquaquam lacte et melle vesci potuit, quia Hierosolyma non expugnata est. Vastatio autem talis describitur, ut et caput et rus prorsus desolata jaceant, id quod a Syris et Ephraimitis nullo modo factum est. Vides, quantopere, qui in Achasi temporibus haerentes eo tempore signum impletum esse putant, a textu discrepent, quantisque praejudiciis sint imbuti. Neque enim *cum bello ephraimitico sed cum calamitibus extremis per Assyriam et Aegyptum adducendis pueri illius sortem conjungi*, liquido apparet.

At, objiciunt, suppliciorum illorum magnorum atque exilii non Assur sed Babylon auctor fuit. Quomodo Achasus illa clade puniendus dici potest? At primum quidem animadverti velim, hoc loco non praedici, fore ut in Achasum ipsum vivum haec omnia irruant. Aperte adjicit propheta (v. 17): וְעַל עַמְּךָ וְעַל בֵּית אָבִיךָ. Eo fatali rerum discrimine fata regiae domus populique Judaici Achaso annunciantur. Atque inchoata est vere Achaso vivo calamitas illa (2 Chron. XXVIII, 20). Tum per Assyriae reges Sanherib et Assarhaddon continuata est (2 Reg. XVIII, 13, 16; 2 Chron. XXXIII, 11). Peracta vero Josia regnante per Aegyptium Pharaonem Nechonem, per Babylonios denique, qui in ipsa

Assyriorum terra orti in vicem Assyriorum successerant. At eqnidem non dubitaverim, quin propheta, qui tum api Assyriae muscam Aegypti subjungens (v. 18), tum (v. 20) Assyriam solam commemorans, etiam omnes gentes: כֹּל מֶרְחַקֵּי אָרֶץ (VIII, 9) Immanueli opponit, non tam singula regna spectet, quam omnino gentes hostiles, per quas Dominus judicium exsecuturus sit. Quomodo, quaeso, animo fingemus et cogitabimus, Assyriam et Aegyptum, semper sibi inimicas, conjunctas videri, ut Judaeae debili exterminium afferant! Nam quod nonnulli censent, fore, ut Assyria et Aegyptus bellum inter se gerentes in terram Judaeorum concurrant, est sine certo fundamento, quod videamus, et nimis a verbis textus alienum. Cum loco Sach. X, 10 sq. post exilium scripto Assyria et Aegyptus exstent, tamquam typi gentium mundi, nostro loco multo magis, quae gentes Jesaiae tempore potentissimae erant, specie muscarum et apium representatae ceu typi hostilis mundi necessario oculis prophetae objiciuntur. Quid igitur mirum, quod Jesaias inter hostes imminentes potissimum (neutiquam solos cf. VIII, 9) Assyrios vocat? Accedit, quod qui vaticinium impletum negant, ipsi τὸ מֶלֶךְ אַשּׁוּר ter interpolatum esse putant. Utut autem res se habet, si non litera et nomine, re tamen et materia vaticinium impletum est. Ex Achasi tempore Judaei a regnis ethnicis oppressi sunt, donec angustiis temporum permagna egestate afflictus Immanuel promissus advenit. Itaque hoc commate (vv. 16—25) explicatur, qui fiat, ut Immanuel temporibus ertremis nasciturus lacte et melle vescatur.

Sed ne multis, procedamus ad caput VIII, in quo de eadem fere materia propheta disserit. Hoc praecipue loco patebit, prophetam minime Immanuelis ortum ante Ephraimitas et Syros devictos exspectare. Quantopere enim differt is puer, de quo hoc loco agitur, ab Immanuele illo. Jesaias tabulam sumere jubetur, in qua perspicuo omnibus

modo inscribat: מַהֵר שָׁלָל חָשׁ בַּז. Et adhibuit (וָאָעִידָה legendum est) propheta testes certos, qui haec verba ante impletum vaticinium scripta esse testentur. Deinde prophetissa concepit filiumque peperit, cui Jesaias pater nomen imposuit: מַהֵר שָׁלָל חָשׁ בַּז. Nam priusquam puer patrem et matrem appellare queat, i. e. uno circiter anno peracto opes Damasci et praedam Samariae coram rege Assyriae ablatum iri, praedicit propheta. Quomodo, quaeso, fieri potuit, ut Gesenius, Hitzig, Hendewerk argumentis nihil probantibus utrumque puerum unum eundemque esse defenderent! Omnia toto coelo diversa sunt. Illo loco (VII, 14) mater עַלְמָה vocatur, hoc loco prophetissa; illic pater nusquam commemoratur, hic invenitur; illic mater nomen vocat, hic Jesaias pater; illic de nullo temporis termino mentio fit, sed de sapientia pueri, hic de termino aliquo. Praeterea utrumque nomen diversum est. At causa quidem ante oculos est, cur pueri differre negentur. Nam si ambo eorumque nomina ejusdem facti signa atque omina essent, vix intelligeretur, quare factum idem bis atque duobus signis praeformatum esset. Si hoc consilio Dominus ipse solemniter ac palam regiae domui signum Immanuelis jam dederat, nihil erat, cur iterum daret. Quid? nullo modo id fieri potuit, si uterque puer, id quod omnes interpretes praejudicatis opinionibus soluti certum certissimumque habent, diversus est. Cum enim bellum syro-ephraimiticum non serius quam primo Achasi regnantis anno i. e. 743 inceperit, Pecachus vero anno 739 interfectus sit, dumtaxat tres fere anni supputandi sunt, quibus omnia, quae evenerunt usque ad tempus devictorum hostium, facta sunt. Atqui nono mense post tabulam positam Maherschalal natus est — nam τὸ וָאֶקְרַב Aoristum esse, non Plusquamperfectum (Lowth, Gesenius) necesse est. Deinde donec infans *παππάζειν* quiret, spatium unius anni praeteriit. Quare quod VIII, 1 sqq. narratum est, non ita multo post

ea, quae VII, 14 narrata sunt, evenit. Ut igitur taceam, nullam causam esse, cur tam brevi spatio duobus signis idem eventum praedictum sit neque tamen altero loco alterum respectum, tamen, si VII, 16 terminus aliqui denotatus esset, uterque terminus nullo modo concinnari posset. Nam Immanuel, qui VII, 14 nondum conceptus et natus erat et Maherschalal adeo aequales fere essent, ut alter terminus alteri contrarius esset. Putant quidem interpretes, infantem triennem — ne dicam, hoc spatium pro ratione loci VII, 14. 15 et VIII, 3. 4 nimis longum esse — scire, quid bonum aut malum sit. At absque jure, ut supra demonstravimus. Videmus, criticorum interpretationem ubique haerere, contrariis et difficultatibus magis magisque implicatam.

Prorsus aliter se habet res, si nostram sententiam quaeris. Cum Immanuel minime signum sit puniendorum hostium, e contrario non ante illorum poenam sed post nasciturus sit, idcirco אות vel signum puniendorum regum nusquam hucusque datum est. Praeterea loco VII, 16, si verba accuratius spectantur, proprie non idem factum significatur, quod hoc loco. Hic tantum de spoliis Samariae (et Syriae) agitur, quod vaticinium impletum vide 2 Reg. XV, ubi Tiglatpilesar multos incolas e regno Ephraimitico deportasse dicitur. Neque quidquam obstat, quominus propheta his verbis eam deportationem significaverit, quia fines illi abrupti recte praeda Samariae vocari possunt. At VII, 16 de desolanda civitate Ephraimitica vaticinatur propheta, cui desolationi respondet desolatio terrae Judaicae VII, 17 sqq. Quae cum ita sint, utrumque dictum aliquo modo differt. Loco VII, 16 generaliter deportationem hostium annunciat propheta; hoc loco, quae mox per Tiglatpilesarem facienda erat, poenam et spoliationem. — Itaque nihil est, cur non utraque oratio eodem fere tempore dicta sit; libenter enim aliis tradimus

designandum discrimen temporis, quo utraque oratio, simili materia ligata, habita sit. Incerta enim certa reddere non ausim. — Generaliter vero interitu hostium Cap. VII ostenso, hoc loco prophetae est, populo incredulo proximas poenas, quas hostes daturi sint, ante oculos ponere monumento quodam publico, quod veritatem vaticinii indicet. Itaque uno eoque aptissimo signo res futura praeformatur.

Ut autem Cap. VII vaticinio, quod supplicia hostium pronuntiat (v. 16), alterum succedit, quod poenas Judaeae ostendit (v. 17 sqq.), ita iam propheta vv. 6—8 ad Judaeam transit. Errant enim, qui verba הָעָם הַזֶּה ad Ephraimitas referunt (Hieron., Ludw. de Dieu, Hofmann (Weiss. und Erf. p. 230), Umbreit) aut ad omnes duodecim tribus (Eichhorn, Rosenmüller, Delitzsch, Naegelsbach). Qua ratione populus Samariae aquas Siloae aspernari potest dici? „Levius id de hostibus dictum esset“, recte notat Rosenmüller. Quid, quod, הָעָם הַזֶּה (vv. 11, 12 cf. VI, 9) Judaei sunt, inter quos et apud quos propheta loquitur. Praeterea contextus non in medio rem relinquit. Nam de Ephraimitis jam dictum est (vv. 1—4), et aeque atque Cap. VII propheta ab iis ad Judaeos transgreditur (cfr. בִּיהוּדָה v. 8). Quod autem utrosque oratio complectitur, ita ut prius membrum totum populum, posterius vero Ephraimitas spectet (Delitzsch), violentum videtur. Judaei sunt ii, qui aquas Siloae spernunt. Aquae hae adumbrant non regnum Davidicum (id quod plerique interpretes volunt), quod eo tempore improbum erat, sed Deum ipsum (Schmidius, Hitzig, cf. Ps. XLVI, 5; Jes. XXXIII, 12) vel potius divinam opem (Pisc., Junius, Glassius, Sanctius). Oppositae sunt aquis illis urbem irrigantibus validissimae aquae Euphratis. At masoretica conjunctio verborum minime probanda videtur. Hieronymus (ad hunc locum) notat: „Siloe autem fontem esse ad radicem montis Sion, qui non jugibus aquis sed in certis horis diebusque ebulliat et per terrarum concava et antra saxi

durissimi cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus nos praesertim, qui in hac habitamus provincia". Qua re impeditur, quominus verba הַהֹלְכִים לְאַט verbis מֵי הַשִּׁלֹחַ conjungas. Jam vero nomen מְשׂוֹשׂ prorsus abruptum videtur, si masoreticam accentuationem sectaris. Plerique commentantur: et propter gaudium, quod gaudent Rezino et Pecacho. At sive אֶת־ praepositionem, sive notam Accus. sumas, nunquam verba gaudendi tali modo construuntur. Porro, quomodo populus Rezino et Pecacho gaudere potest, quos timet (cf. VII, 2; VIII, 12)? Nam de certa factione non loquitur propheta (Ges., Ew.), sed de populo toto. Recte igitur Hitzig et Meier מְשׂוֹשׂ idem valere ac מְסוֹס censent secundum indiligentem quandam scripturam. At verbum מָסַס cum Acc. constructum esse, Hitzig haudquaquam probavit. Praepositio אֵת hic posita est, ut Gen. XXX, 29; XXXIX; 6; Jes. XXX, 8 hoc sensu: praesente, coram Rezino etc. הַהֹלְכִים pertinet ad הָעָם, ut IX, 1. Quia hic populus sprevit aquas Siloae, quippe qui increduli leniter lenteque utpote lugentes (cf. 1 Reg. XXI, 27) et contabescendo (cf. X, 18 מְסוֹס Inf. abs. adverbialiter positus) praesente Rezino et filio Remaljae incedant, i. e. propter pavorem incredulitatis — super eos, qui Dei aquas contemnunt, Dominus adducet aquas validissimas Euphratis, quae usque ad collum venient, et implebunt extensiones ejus fluminis terram Judaicam. Renovatam igitur descriptionem, qualem VII, 17 sqq. legimus, his verbis invenies. Jam vero, ut verba VIII, 1—4 verbis VII, 16 et comma VIII, 5—8 commati VII, 17 sqq. respondent, jam sequentibus versibus de Immanuele ejusque ope agitur. Nam mihi quidem LXX, Abarbanel, Steudel recte partiti esse videntur, qui comma, quod sequitur, voce עִמָּנוּ אֵל incipere et concludi putant. Suffixum ad Judaeam pertinet (cf. VIII, 25, quo loco itidem repente propheta alloquitur Hierosolymam. עִמָּנוּ אֵל (non, ut Norzi vult, עִמָּנוּאֵל) excla-

mat propheta, appellativam vim indicans, minime vero vim nominis proprii excludens: Nobiscum Deus, maligni estote et confringimini — inite consilium, non fiet, nam nobiscum Deus. Haec verba si ulla alia docent, tantum abesse ut Immanuel bello syro-ephraimitico nasciturus sit, ut non prius veniat, quam Assyria et populi terrarum in terram Israeliticam inundaverint. Generaliter loquitur propheta de terrarum populis, de longinquis terrae, universitatem hostium spectans. Quantopere totius commatis nexui et scopo adversatur Gesenius, qui per עַמִּים Syros et Ephraimitas notari putat! Haec sententia, quamquam valde friget, tamen a compluribus interpretibus (Hitzig, Hendewerk, Knobel) repetitur. Nos ut prophetiam totam hac suppositione perturbemus! Num Deus Judaeis adesse potest, priusquam judicia illa impendentia ingruerint? Quid juvat Judaeos, quod Syri et Ephraimitae refringuntur, sed Assyria, ut modo dictum est (vv. 5—8), ad eorum fines adducitur? Num impetus hostium atque molimina irrita sunt, si postremo Judaea subacta erit? Totum vaticinium contortum et implicatum videbitur, nisi cognoverimus, primo secundum hoc vaticinium invasionem aquarum Assyriae venire, tum denique opem divinam ab Immanuele contra terrae gentes praestari. Sin aliter, his versibus, qui impetum gentium nihil valere vaticinantur, tollerentur omnia de Judaea devicta supra dicta. Primum enim Dominus faciem suam abscondet a tota domo Jacob, tum demum Immannel auxiliumque apparebit. Post supplicia gravissima eis elucebit. Jtaque cum sine ullo dubio τὸ עִמָּנוּ אֵל bis positum ad Immanuelem VII, 14 spectet, quis non videt, Immanuelem multo demum post, minime vero bello illo syriaco expectatum esse? Maherschalal cum hoc bello conjunctus, Immanuel cum Assyria vel potius cum gentibus et longinquis terrarum connexus est.

Quod sequitur, levius attingere licebit. Addit enim propheta verba Dei, quae rapto in ecstasim (בְּחֶזְקַת הַיָּד cf. Ez. III, 14) data sunt. His dictis propheta quique cum eo erant (Plur. תֹאמְרוּן) monentur, ne mores vulgi sectentur, quippe quod tantummodo spectet et metuat, quae visibilia et judicio hominum opulenta erant. Vulgus prophetae monita et minas קֶשֶׁר vocat i. e. conjurationem contra regem salutemque civitatis, quam tantum per regem Assyriae defendi posse putabant. (Durum et improbabile est, quod Steudel explicat: „Nolite vere sociam habere Assyriam, quam talem praedicat populus". Magis probatur nobis conjectura Lagardii l. l. 14 [cf. Lowth]: pro קֶשֶׁר legendum esse קָדשׁ, sed tali modo textum emendare supervacaneum est). E contrario propheta et qui cum eo sunt jubentur Deum sanctificare et timere. Et erit לְמִקְדָּשׁ, quod verbum asylum significare mihi persuadere non possum. Si haec verba, ut Tiberienses volunt, sequentibus contraposita essent, לָכֶם deesse non liceret, ut utrumque membrum sibi contrarium esse perspicuum fieret. Dominus sanctificabitur judiciis (cf. Ez. XXVIII, 22; Jes. V, 16) et erit in petram scandali, in qua multi ex duabus Israelis domibus impingent et cadent. Multi, inquit, non omnes, nam per gravia supplicia reliquiae tamen servabuntur. Tali modo Dominus prophetam et fideles ad se arcessivit, judicia populo toti ante Immanuelem apparentem imminentia revelans. Hanc totam prophetiam propheta colligare et consignare jubetur. Pro בְּלִמֻּדָי Syrus בְּלַמְּדִי legisse videtur, vertens: in disciplina mea, his verbis cum sequentibus junctis. At masoreticum textum sequi praestat. Discipulos enim hic proprie notari, maxime ad rem intelligendam conducit observasse. Sed particulam בְּ idem valere, quod „in corde", longe repetitum est. Neque vero instrumentaliter sumi potest, cum munus imperatum efficere unius sit, non multorum. Quare praepositionem per „inter" verten-

dum esse, exploratum habeo. Inter discipulos תְּעוּדָה et תּוֹרָה i. e. propheticam admonitionem et testimonium ligare jubetur. Vaticinium a vulgo spretum apud fideles seponendum est, donec impleatur. Quare res nonne in longinquiora tempora spectare videtur? Interea propheta praestolatur Dominum; ab eo pendet, ei totum se committit, qui faciem a toto populo Israelitico abscondidit. Pauci cum eo sunt, ecclesiola inter massam perditionis parva. At pauci illi sunt signa, omina, prodigia temporis futuri ejusque felicioris. Praeformant enim adumbrantque futuram reliquiarum conversionem (cf. v. 20). Plerique quidem interpretes putant, pueros supra memoratos Jesaiae, quippe quorum nomina ominosa sint (Schearjaschub, Maherschalal, Immanuel), esse הַיְלָדִים. Obstat vero, quod Immanuel minime prophetae infans est, quod Maherschalalis nomen, utpote Ephraimitas et Syros puniendos indigitans, huic nexui non jam consentaneum est, quod Schearjaschubi nomen nondum illustratum est. Accedit quod post מוֹפְתִים subaudiamus necesse est „sumus“, ut recte notat Kelle. Namque verba לְאֹתוֹת וּלְמוֹפְתִים non antecedentibus sed sequentibus subjungenda sunt; alioquin τό מֵעִם יְהוָה וגו' abruptius additum esset. Itaque Jesaias semet ipsum quoque אוֹת et מוֹפֵת vocat, cujus nomen tam ominosum esse nusquam legimus. Praeterea v. 19 אֲלֵיכֶם ad fideles spectat, quos adultos esse oportet, non infantes. Quamobrem mihi quidem probabile est, יְלָדִים idem valere, quod לִמֻּדִים, et prophetam discipulos suos, quo nomine aliis locis prophetarum filii vocantur, piosque auditores notare (Hieron., Calvin, Vitr., Steudel). Eodem sensu dictum accipitur Hebr. II, 13 et a veteribus Judaicis interpretibus (cf. Vitr. ad hunc locum). Hi quasi parva dumtaxat ecclesia fidelium miro modo ex consilio et clementia Jehovae, qui montem Zion elegit populumque non in sempiternum deseret, felicia tempora praesagiunt (similiter Hitzig). Sunt inter populum

perversum et improbum *τύποι τοῦ μέλλοντος*. Populus superstitione captus a necromantibus et hariolis auxilium quaerit. Sed fideles respondent: Nonne populus Deum suum consulet? num pro vivis mortuos i. e. necromantes consulamus? Quid? tandem aliquando nonne populus locuturus est לְתוֹרָה וְלִתְעוּדָה, qualem Deus per prophetam dederat? Argute Delitzsch notat: „Der Aufruf ist wie eine Parole in Kriegszeit geformt“. Minime vero, si quid video, per particulam אִם־לֹא protasis affertur, ita ut אֲשֶׁר apodosi indicandae inserviat, id quod Singulari לוֹ vetatur certisque linguae usibus probari nequit. Contra aut אִם־לֹא sicut post formulas jurandi et obtestationes „profecto“ significare videtur, aut אִם particula interrogativa recta est (cf. XXIX, 16): an non secundum istud verbum tandem locuturi sunt? Quodetsi tunc necromantes et harioli quaeruntur, nonne aliquando tempus veniet, quo populus Deum ejusque verbum consulat, sicut jam tunc ecclesiola Jesaiana? Quorsus autem tendunt verba אֲשֶׁר אֵין־לוֹ שָׁחַר? LXX et Pesch. שֹׁחַד legunt, Suffixum ad „verbum illud“ referentes: pro quo nullum munus dandum est. Explicaveris: Harioli illi munera postulant, verbum Dei gratuito donatur. At masoreticam textus formam tenere certius est. Conferas arabicum سحر (Steudel): in quo nulla est incantatio (cf. XLVII, 11). Sed haec significatio incertior videtur; receptissimam „aurora“ tenere praestat, dummodo ne Relativum ad Plur. יֹאמְרוּ referatur, quo relato sententia etiam obscurior et durior evadit. Placet verba cum sequentibus jungere, quae partitio aurorae et caliginis (v. 22) imaginibus juvatur: cui non aurora erit, transibit per terram esuriens et maledicet regi et Deo suo. Nam quia praep. בְּ bis posita est, loci Ps. V, 3; LXVIII, 25 nihil ad haec verba pertinent. Summa desperatio hic describitur (cf. Apoc. XV, 11. 21). Sive sursum, sive deorsum oculos vertit, ubique

tribulatio, angustiae, tenebrae. Plerique vertunt verba vexata: וַאֲפֵלָה מְנֻדָּח = et in caliginem propulsus. At nescio an apta sit haec versio. אֲפֵלָה Acc. localem esse minime credo, cui rei locus Jer. XXIII, 12 haudquaquam patrocinatur, quo Praep. בְּ usurpata et בָּאֲפֵלָה praecedentibus subjungendum est. Loco XIII, 14 collato animadvertes, antithesim verbi נִדָּח esse קִבֵּץ. Praeterea particula כִּי v. 23 postulat, ut antea aliquid legatur, quod solatio sit. Verbis igitur obscuris nova afferri crediderim. Jesaiae quidem proprium est, multa verba idem significantia congerere et cumulare, sed quattuor sufficere putaverim. At tenebrae dissipabuntur (cf. Naegelsb. ad h. l. et Gr. § 60, 4), inquit propheta. Ea constructio magis convenit, quam quod per particulam כִּי transitus ad aliam materiam, sc. ad descriptionem melioris conditionis fiat. Praeterea cum verba וּפָנָה לְמָעְלָה ad v. 22 pertineant, nostra explicatione parallelismus non laesus videtur (simili modo Hitzig). Neque enim manebit obscuratio, cui angustiae fuerunt, pergit propheta (temporis diversitate per anthithesim postulata). Sicut tempore priore contemptam habuit terram Sebulon et terram Naphthali (אַרְצָה cf. Ew. § 173 h.), posteriore tempore gloriosam reddet viam maris, terram transjordanam, Galilaeam gentium. Regiones istae Palaestinae septentrionem versus sitae jam diu maxime in contemptionem venerant propter multitudinem paganorum ibi habitantium (cf. 1 Reg. IX, 11) et incursionibus gentium hostilium, imprimis Syrorum expositae erant, donec Tiglatpilesar earum ipsarum regionum incolas deportaret (2 Reg. XV, 29). Ceterum membrum posterius prius membrum excedere videtur (עֵבֶר הַיַּרְדֵּן). הַיָּם est mare Genezareth. Galilaea est septentrionalis terrae Naphthali pars. עֵת הָרִאשׁוֹן Acc. temp.; id enim Subj. esse, durius mihi videtur, cum quae argumenta Gesenius de hoc linguae arabicae et hebraicae usu attulit, parum probent, ut omittam, pro Masc. certe Fem.

ponendum fuisse, quia עֵת ab antiquioribus auctoribus semper fere cum Fem. constructum est. Particulae כְּ vero hic Conjunctionis vim inesse (pro כַּאֲשֶׁר), Delitzsch absque jure negat (cf. LXI, 11; Job, VII, 2). Propheta igitur contemptas illas regiones, quas jam diu spretas et vexatas Tiglatpilesar mox deportaturus est, futuro tempore honorandas praedicit. Quam rem impletam ostendit St. Matth. (IV, 13 sqq.). Quodsi fines adeo contempti ita honorabuntur, reliqua quoque terra gloria afficietur.

Quamobrem pergit propheta IX, 1: Populo in tenebris umbrisque mortis ambulanti lux clara effulget. Interponitur deinde hymnus, in quem effusus propheta gratias fert Deo, quod tempore futuro populum calamitosis suppliciis in reliquias redactum amplum redditurus sit eique (לוֹ secundum lectionem marginalem praeferendum est) gaudium permagnum concitaturus. Nam jugum hostium fregit Jehova, ut olim Gideone duce Midianitas miro et mirabili modo per paucos et inermes. Atque etiam omnis apparatus militaris (סְאוֹן = syr. סְאוּנָא: calceus) atque vestes sanguine volutae cremabuntur. Finita sunt bella, incipit pax regni messiani gloriosa. Nam, cantat hymno propheta, puer natus est nobis, filius datus est nobis! — Neque vero ullo modo convenit, Perfecta sensu Praeteriti accipere, sicut Judaei quique Christiani eorum vestigia premunt (Grotius, Paulus, Gesenius), haec verba in Hiskiam referentes. Dubitari non potest, quin idem puer sit, qui VII, 14 Immanuel vocatur. Nomina ejus tam mirabilia et luculenta sunt, quibus nemo alius nisi Messias dignus sit. Inepte enim interpretes grandia et magnifica cognomina allegant, quae regibus a populis orientalibus attribui solent. „Will man denn die verderbtesten Zeiten des Heidentums, ihre Hofpoesie und Schmeichelei auf die Propheten übertragen"?, optime notat Drechsler. Omnia quidem, quae

post וַיִּקְרָא leguntur, quin pueri illius cognomina sint, quis dubitaverit? Nexus et syntaxis et verba postulant, neque nos argumentis dogmaticis cogimur, ut aut cum Masoretis priora de Deo accipiamus aut cum Luzzatto putemus, nomen pueri esse: „Mirabilia consulit Deus fortis, aeternus pater, princeps pacis“. Quinque sunt nomina, quae puero tribuuntnr. Primum quidem est פֶּלֶא: mirandus (Aquila recte: *θαυμαστός* cf. Jud. XIII, 18 פִּלְאִי), nam ipse est miraculum, אוֹת. Secundum: יוֹעֵץ, nam ille bonum eligendo malumque reprobando consilia salutaria populo affert. Utrumque nomen in unum complecti, violentum videtur. Tertium: אֵל גִּבּוֹר i. e. fortis Deus, cujus versionis locus X, 21 evidentissimum documentum praebet. Accedit, quod אֵל גִּבּוֹר est antiquum Dei nomen (cf. Deut. X, 17; Jer. XXXII, 18 etc.) Fortis Deus igitur permiro modo puer ille vocatur. Atque hostibus devictis Immanuel ille regnabit utpote אֲבִי־עַד, pater aeternus, patris instar populo suo providens (cf. XXII, 21). Quod Knobel vertit: pater spoliorum, prorsus inauditum, neque ullo loco comprobari potest. Denique princeps pacis vocatur. Itaque pro eo, quod Achasus improbus civitati detrimentum et bellum suscitavit, puero illo regnante in aeternum infinita pax erit et incrementum regni et justitia et integritas in solio Davidis. Per hunc igitur puerum Deus revera cum hominibus est, et quinque illa nomina dumtaxat explicant, quod nomen Immanuelis reapse continet.

Repetamus denique summatim capita commatis totius explicati! Quod si fecerimus, nexu rerum dilucide apparebit, puerum IX, 5 laudibus elatum non differre ab Immanuele, ita ut sententia, qua Immanuel Messias putatur, sola nexui atque scopo vaticinii conveniat. Domui Davidis Deum reprobanti Deus ipse miraculum daturus est. Mirus nascetur puer ex puella quadam. Minime vero gloria regia cumulatus, sed humilitate et egestate afflictus in terra deso-

lata temporibus miserrimis adolescens vivet. Lac spissum et mel comedet, ut, id quod Achasi domus ob incredulitatem nequierat, bonum eligere et malum rejicere sapiat. Nam priusquam puer ille sapientiam praestare possit, quantae aerumnae intercedant necesse est! Non solum Ephraimitarum et Syrorum terra deserta jacebit, sed etiam Judaicus populus ejusque domus regia tam adversis rebus subjicietur, quales non fuerunt inde a diviso regno Davidis. Tota igitur terra Israelitica in tantam desolationem decidet, ut nihil nisi lac et mel comedendum inveniatur. Utrumque supplicium, quo Ephraimitae et quo Judaei afficiuntur, sequenti capite repetitum amplius describitur et argumentis certis ante oculos ponitur. De Ephraimitis agitur per signum et nomen Maherschalalis v. 1 — 4; de Judaeis v. 5—8. Tunc denique clarissimo splendore claritas Immanuelis tanquam sol post noctis tenebras effulget (9—11). Omnes gentes et remotos terrae populos Immanuel contundet atque perfringet. Haec praevidet propheta, qui non ea aspicit, quae vulgus aut timet aut sperat. Confidit enim Jehova, qui talia supplicia in ambas Israelis domus constituit, priusquam Immanuelis opem mittat. Sed propheta non solus, sed etiam discipuli fideles, quos ei Dominus donavit, Deo ejusque Immanuele confidunt. En ecclesiola, coetus fidelium, *τύποι τοῦ μέλλοντος*, omina futurae populi conversionis et praesagia, destinata per Jehovam, qui in monte Zion salutem parabit. Et quamquam eo tempore populus ad hariolos et necromantes se convertit, coetus fidelium ad Deum invitat. Quid? tandem aliquando nonne exclamabunt: לַתּוֹרָה וְלִתְעוּדָה, sicut jam tunc ecclesia Jesaiana? Hoc quidem non fiet, nisi per gravia judicia, quibus caligo et tenebrae absque ullo aurorae fulgore terram et incolas operiet. Sed haud in aeternum! Sicut fines maxime spreti olim glorificabuntur, ita omnis omnino populus. Magnum elucebit lumen et ingenti exsultabitur

laetitia. Bella sunt confecta, orta est pax. Aeternum pacis regnum stabilietur. Nam puer natus est permirus, cui imperium est. Ipse est אוֹת, nam est פֶּלֶא; reprobat consilium mali et eligit et efficit bonum, nam est יוֹעֵץ; elidit hostium opes, nam est אֵל גִּבּוֹר. Regnum ejus nunquam desinet, nam aeternus pater, princeps pacis vocabitur ille. Haec omnia perficiet zelus Domini Zebaoth ex sanctitate irae ad amoris benignitatem reversus.

Tanta concinnitate et congruentia est totus prophetae sermo optimeque temporis rerumque conditionibus convenit. Temporibus miserrimis, quibus gentis Assyriacae ab Achaso ipso incredibili quadam caecitate arcessitae impetus imminebat primus, propheta acerrima oculorum acie praevidet omnes calamitates, omnem desolationem ab hostibus populo suo afferendam. Incumbunt jam gentes tamquam bestiae paratae ut Israelem devorent. At per turbas gentium et molimina populorum tumultuosa Immanuel perfulget summum divinae gratiae phaenomenon, de quo propheta emphasi quadam elatus doxologicam illam laudationem accinit, idemque victor gloriosus, qui regnum constituat, omnibus regnis diuturnius atque aeternum.

Quod num impletum sit quaeris? Accidit et factum est, quod prophetarum princeps ille vaticinatur. Inde a tempore illo, quo Achasus Assyrios arcessivit, nunquam jugum gentilis dominationis ab Israelitarum cervicibus prorsus cessit. Assyria, Persia, Graecia, Roma vices verterunt, donec tandem temporum angustiis oppresso et misero populo suo Immanuel subvenit. Quod propheta edendi butyri et mellis imagine depinxit, id ei profecto obtigit. Humillimam vitam degens ex iis, quae passus est, oboedientiam didicit. Jugo autem oneroso humerique baculo confracto, solio augusto supersedet, perpetuus profecto Augustus, exspectans, donec omnes hostes scabellum pedum ponantur. Nam pri-

mus et secundus Messiae adventus uno adspectu conspiciuntur. Itaque vaticinium de Immanuele editum cum omnibus rebus impletum tum nexu rerum concinne videtur continuatum.


UNIVERSITY OF CHICAGO
57 882 923